

oppidum recepta est, civibusque dispertita, apud quos es-  
set, proque cuiusque facultatibus aleretur. Verum enim  
vero cum paulo post hostium exercitus Bassianum versus  
se promovisset, Senatus iterum Tauriso veritus, Joannem  
Diedum ex Veneta nobilitate virum fortem militaribusque  
rebus assuetum, qui Patavii erat, eo legatum miserunt,  
ut una cum Mocenico belli rebus præficeret. qui quidem  
Joannes eo rejecto stipendio, quod ei Patres muneri obe-  
undo decreverant, sua impensa reipublicæ laboranti operam  
se daturum proficisciens est pollicitus. militesque item quin-  
genti, equites levissimi CC. a legatis Patavio Taurisum  
missi.

Erant autem in hostium exercitu Galli equites gravio-  
ris armaturæ mille CC. levioris aliquanto plures, Ger-  
mani fere alteri totidem, ex æquo tamen inter se nu-  
mero: milites in utrisque circiter undecim millia: sed  
ex iis Germanorum duplo fere major, quam Gallorum  
numerus erat: præterque hos Alfonsus Ferrariensem prin-  
ceps cum equitibus CC. Is exercitus depopulatis reipu-  
blicæ agris illorum finium, Castellum Novum, quod  
est in Alpibus, profectus, paucis defendantibus oppi-  
dum cepit, diripuit, incendit, ut nihil ex eo neque  
domorum, neque templorum, uno fano excepto, non  
ardens dirutumque sit relictum. Idem post Feltria passa  
est in majorem sui partem, ut a priore vastitate superfuer-  
rat, aut cives eam restituerant. Cividale quoque Be-  
lunianum parvo negotio captum, cum civitas oppidum,  
uti Feltriæ acciderat, incendi nollet. Itemque Scala:  
nam qui eam defendebant, primis tormentorum pilis in  
eos jactis & centurione imperfecto, deditioinem fecerunt.  
Eodem tempore in Justinopolitanorum finibus milites rei-  
publicæ circiter quadringenti equitesque aliquot infidiis  
ab hostibus dispositis capti ad septuaginta, imperfecti ad  
**X.** pœnas imprudentiæ dederunt. Inter has bellicorum  
eventuum auditiones Catharina Cornelia, quæ Cypri  
regis uxor fuerat, de qua in horum commentariorum  
priore libro scripsimus, sexto nonas julias stomachi vitio

*Hostium  
copiæ.*

H. Bembi.

B b

in

*Catharinae  
Cornelia,  
Cypri regi-  
nae, obitus,  
& funera.*